



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia
Ordinis S. Benedicti**

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Petrvs I. Ex Baronibvs A Schvande Abbas Heremi Decimvs Et Nonvs
Princeps Imperii Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



PETRVS I. EX BA-
RONIBVS A SCHVAN-
DE ABBAS HEREMI DECI-
MVS ET NONVS PRINCEPS
IMPERII SECUNDVS.

VDOLFO Cæsare in superiore Germania oc-
cupato, maximè in conciliandis Ciuitatum, &
Vrbium ciuibus, & magistratibus cum ordine
Ecclesiastico, inter quos ab temporibus Frideri-
ci II. grauis discordia incesserat, nec dum conquerierat, nun-
cius de Othagari Bohemi rebellione allatus grauiter accidit.
Igitur maximum exercitum ex Suevia, Harcinia, Elsatia, Bri-
siacis, Sequanis, Argouia, & Turgouia, totaque pene Helue-
tia, Tigurinis, & Bernensibus exceptis, confecit, & subito in

Austriam

A. D. XC.

C I O. C C.

LXXVIII.

A. D. XC.

C I O. C C.

LXXIX.

A. D. XC.

C I O. C C.

LXXX.

Austriam rapuit, invocatoq; Christi nomine, quem Othagarus haut magni faciebat, quos secum habebat barbari etiam irridebant, campo Nidesburgi cum hoste concurrit, ingentique prælio viatum interfecit v i. kalend Septembbris, feria v i. anni septuagesimi octaui. Eodem prælio non modo Austriam secundò recepit, sed Bohemiam quoque, & quidquid Othagari fuerat in potestatem redigit, quam tamen Rudolfus optimus regum Venceslao Othagari filio restituit, & simul in amicitiam, & pacem Guttham filiam matrimonio despondit. Ipsum quia admodum adolescens erat, Othoni marchioni Brandenburgensi interim educandum commendauit, qui ijs virtutibus imbuit, ut post mortem Diuorum numerū auxisse certa apud Bohemos maneat fama, & eiusdem cultus memoria. Asturiam, & Styriam, & ceteras prouincias filio Alberto regendas interim dedit. Anno sequenti terræ motus Heluetiam præcipue, & Sueviam grauiter concussit, multa ædificia dejicit, maxima damna fecit. A uno octogesimo, cum forte abbas Petrus festo die D. Osuualdi opidi patroni Tugium ad illam, quæ quot annis fieri solet, magnâ accolaram frequentiâ, supplicationem, religionis causâ venisset, ea que peractâ in DEIPARÆ Matri antiqui opidi sacello cum multis alijs pietati intenderet, inter saeuissima tonitrua de cælo tacta ædes sulfure, fumo, & vapore non solum ipsum, sed plures alios exanimauit, Nonis Augusti. Singulari virtute fuit. Custodis munus antea cum laude exercuerat, principatus experimentum vita breuitas non indulxit, magnâ spe, & desiderio sui extinctus est. Erat Rudolfi Baronis à Schuande filius, Anshelmi quandam abbatis nepos. Habebat tum fratrem Heinricum Schuandæ Baronem militiae cingulo insignem. Postquam de eius morte compertum fuit, legere fratres successorem Heinricum ex Baronibus à Guttinge. Præsedit annos x v IIII. menses v II. Paucis post diebus, Idibus scilicet eiusdem mensis, excessit quoque pontifex Nicolaus.

HEIN.

